Posthumus

Crac. Andr. Petricov. 1619.

POSTHVMVS STANISLAI SOCOLOVII, APVD STEPHANVM I. POLONIÆ REGEM Concionatoris, DE RATIONE STVDII.

per

M. Iacobvm Ianidlovivm I. V. D. & Professorem, Canonicum Sandeceń: Academiæ Cracouień: Procancellarium, & pro tunc Generalem Rectorem,

luce donatus.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi. Anno D. 1619.

Illustrißimo & Magnifico Domino,

D. NICOLAO WOLSKI DE PODHAYCZE, REGNI POLONIÆ SVPREMO MARSCHALCO,

Capitaneo Krzepicensi, Olstinen: Rabstinen: &c. &c.

M. IACOBVS IANIDLOVIVS I. V. DOCTOR & Professor, &c. Salutem.

POsthumus hic Magni SOCOLOVII *De ratione studij fætus, Amplißimo nomini Tuo natus, inter schedia ipsius per me repertus, secundâ eius famâ, prout doctißimi quiq; iudicant, in lucem prodit Illustrißime Dñe. qui licet fortè non eo fine fuerit editus, vt in memoriæ sempiternæ tẽplo reponeretur; verùm cùm labor iste sententiâ multorum dignus censeatur qui lucem aspiciat, dabis veniam, quod vt ante Tui proprij iuris erat, ita nunc publici esse incipiat, nec in alio quàm in Tuo nomine appareat: Sic enim fælici memoria* SOCOLOVII *nostri, etiam post fata Ciues Regni magno cum fructu erudientis ab huius vitæ fluctibus in immortalitatis portum delati, fruemur, pijsq; votis ac desiderio multorum satisfaciemus, inprimis autem Nepoti Tuo Academicis iuribus nuper à me adscripto, quē natura ad studia totũ tãquã ex Ioue ramum effinxit, ad exprimendam similitudinẽ Amplissimi nominis Tui imitandum proponemus. Vale.*

CRAC: è Collegio DD. Iureconsultorum, ipso die Translationis S. Stanislai. Anno D. 1619.

STANISLAI SOCOLOVII DE RATIONE STVDII,

Ad NICOLAVM WOLSCIVM, Capitaneum Krzepicensem.

PRo meo incredibili in te amore NICOLAE charissime, mitto ad Te hanc meam, de studio instituendo, qualemcunq; scriptionem; non quidem verborũ splendore & eloquentiæ maiestate exornatam: neq; enim aut materia ipsa, aut tempus meum, ac fortasse facultas etiam nostra id ferebat: sententiarum tamen veritate, vt puto, non ineptam. Quam Tu eo animo, quo à me profecta est, accipies, ac si videbitur, ad eam studia Tua, quibus Te & natura ipsa effinxit, & Parentes genuerunt, compones; fratriq; Tuo suauißimo puero, sequendam trades. Vale & viue virtuti studijsq;. Dat: Crac. A.D. 1572.

DE

DE STVDIO RECTE INSTITVENDO.

CAPVT PRIMVM.

STudia bonarum literarum quiſpiam ingreſſurus, inprimis eorum dignitatem & vtilitatem apud ſe expendat oportet: quam ſummam & maximam eſſe, nemini dubium eſt. Hominem ſiquidem cum Deo immortali iungunt, illiq; quoad natura eius patitur ſimilem reddunt: verè hominem efficiunt, præſtantiſſimaſq; illius partes excolunt ac expoliunt: & quo vno homines beſtijs maximè præſtant, in hoc hominibus ipſis vt antecellant, faciunt. Inter infinitos humanæ mortalitatis errores lucent; in tanta rerum omnium confuſione ac perturbatione, optimum vitæ genus degendæ monſtrãt; ac quomodo illud conſtantiſſimè traducamus docent, vtrique fortunæ ampliſſima ſunt præſidia. nam vt ſecundas res exornant, longè clariores & illuſtriores eas faciendo, modumq; & rationem ijs cum dignitate & laude vtendi præſcribendo, & ne induſtrijs ſeruulis

domini, ſuorum mancipiorum mancipia ſeruire cogantur efficiendo, vtq; aliquid ſecretum apud ſe habere poſſint, quod illi per ſe conficiant, præſtando: ita pauperi fortunæ præſentiſſimum & tutiſſimum præſidium adferunt, dum obſcuros illuſtrant, pauperes ditant, ignotos nobilitant, abiectos & humi repẽtes in principibus locis collocant. Vtriq; ſimul fortunæ in aduerſis ſolatium, in proſperis decus & ornamentum adferunt. In frequentiâ & cætu hominum conſpicuos faciunt. In ſolitudine, frequentiâ præteriti ſæculi recreant, ac conſolantur; Rempub. exornant, amicos tuentur, inimicos terrent, familiareſq; reficiunt; maioribus commendant, minores inſtruũt, æqualibus gratum & ſuauem efficiunt. In ſapientibus amorem, in ſtultis admirationem noſtri excitant; iuuentutem amabilem reddunt, viros iuuant, ſenectutem venerandam & honorificam adferunt, mortis metum auferunt, dolorem perferre, voluptate perfrui, tempori cedere, amico vti, ex inimico vtilitatẽ capere, ſuiipſius totiuſq; vniuerſitatis ac eius partiũ vſum noſſe docent. Omnium locorum & temporũ hoc bonum eſt: ſola hæc poſſeſſio, non curribus ad deuehendum, non iumentis ad deportandum, non ſarcinis ad deferendum, non Regum & Imperatorũ

diplomatibus ad probandum, non teſtibus ad fidem faciendam opus habet, ſpontè & ſine onere nos vbique ſequitur, non ab hoſte eripitur, non igne incenditur, non vetuſtate conſumitur, non vſu atterritur, non ſitu deprauatur, vbiq; prodeſt, liberalitate creſcit, vſu perficitur, in vno loco exiſtens, vbiq; eſt, abſentes videt, & amatur ab ipſis. Poſt mortem viuit, ſola ex omnibus rebus tempore non euaneſcit, ſed vires & authoritatem ſumit, cælos adit, ſidera ſuperat, nihil tanquam nouum miratur. Totius temporis res geſtas, vno aſpectu intuetur. Hæc tanta & talis eſt dignitas eius quam quærimus poſſeſſionis.

CAPVT SECVNDVM.

DIgnitate & vtilitate eius poſſeſſionis perſpecta, illud apud animum ſuum ſtatuendum eſt. Cùm talis ac tanta ſit eius dignitas & vtilitas, iuſtum & planè neceſſarium eſſe eius cauſa multas res, quæ primo aſpectu ſuaues & iucundæ videntur repudiare, labores item moleſtias aliquas impendere; cùm nihil magnũ, nihil eximium ſit, quod ſine labore & aſpernatione rerum iucundarum acquiri poſſit, omneſq; res magnas & dignitatis plenas, Dij immortales labore & ſudore vendant. Nam & aurum ex viſceribus terræ

magno

magno labore eruitur, & gemmæ ex profunditate aquæ vltimo nautarum discrimine emergunt; & fruges sudore agricolarum irrigatæ optimè crescunt. Quod si neque sutor calceum suere, nec architectus domum extruere, nec faber æs tractare sine aliquo labore & studio potest, ne nos quidem profectò sine labore & repudiatione voluptatum, eaq; summâ, quæ diuina quæ admiranda sunt, vlla ratione consequi poterimus, quæ magna & admiranda non essent, nisi magno labore & conatu acquirerentur, & si ignauis cum industrijs essent communia.

CAPVT TERTIVM.

VErùm cùm à Ioue principiũ Musæ Iouis omnia plena (vt inquit Poëta) omneq; datũ optimũ, & omne donũ perfectũ desuper sit, descẽdens à Patre luminũ, meritò inprimis pax & venia ab æterno illo Parẽte deposcenda sunt. Absurdũ enim esset existimare opes, diuitias, amicos, bonam valetudinẽ, mediocria bona à Deo immortali dari; sapientiam autem perfectum & absolutissimum bonum, aliunde potius quàm ab illo ipso prouenire. Quod & veteres illi Philosophi acutissimè viderunt, indeq; Palladem Sapientiæ Deam ex summi Iouis cerebro prodijsse asseruerunt. Et Aristote-

ristoteles ex ſententia Simonidis Deum primum Sapientem, omniſq; ſapiẽtiæ largitorem, in libro primæ Philoſophiæ vocat. Et Plato virtutem ac ſapientiam à ſuperiore numine promanare in Memnone docet Sed Salomon his omnibus melius de Sapiente diſſeruit: Cor ſuum, inquit, tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conſpectu altiſſimi deprecabitur, aperiet os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum; & ipſe tanquam imbres emittet eloquia ſapientiæ ſuæ, & in oratione confitebitur Domino, & ipſe diriget conſilium & diſciplinam eius. Diuus Iacobus hoc idem teſtatur: Si quis autem indiget ſapientia, poſtulet ab eo qui dat omnibus affluenter nec exprobrat, & dabitur ei. Colitur autem & conciliatur Pater ille æternus caſtæ & incontaminatæ mentis, vt inquit Gregorius, ſacrificio, flagranti & aſſidua prece, vitâ ſancta & impolluta. Nihil autem æquè caſtiſſimam illam mentem delectat, quàm prima hæc ætas dum integritatem & caſtitatem in qua illam natura genuit, puram & inuiolatam cõſeruauerit. Agnoſcit enim in illa atq; amplectitur primordia operis ſui, agnoſcit impolluta veſtigia manuum ſuarũ, agnoſcit ſtollam pri-

lam primam candidam & ſplendentem, nulla turpitudine deformatam, qua illam decorauit & lauit in ſanguine Agni. Vos eſtis caſta Spiritus S. domicilia, vos impolluta membra caſtiſſimi Corporis Chriſti, vos futuræ vitæ inſigne exemplar, vos terreſtres Angeli atq; candidata cohors ſummi Imperatoris; ea reuerentia ac cultu digni, vt nihil in conſpectu veſtro niſi ſanctum & incontaminatum proferatur. Nulla gemma, nullum aurum, tantum ætatem iſtam exornare & commendare poteſt Regi inprimis Angelorum, atq; ipſis mentibus cæleſtibus, quãtum hæc ipſa virtus commendat, quam & dæmones ipſi propter ſanctitatem reuerentur ac metuunt, & tãquam ſummo magnoq; bono, illi plurimum inſidiantur. Hæc eſt prima mortalium commendatio, qua ſe in primo limine vitæ Deo commendant, ac reliqui curſus proſperos ſucceſſus impetrant. Qui igitur ampliſſimos fructus ſtudiorum conſequi volet, hoc pacto nomen illud cæleſte & diuinum, à quo omnis promanat ſapientia, placabit.

CAPVT QVARTVM.

HIs ita in animo ſuo cõſtitutis; primus lapis & fũdamẽtum ſapientiæ iaciendum erit. Hoc autẽ eſt Tem-

perantia, optima mentis & animi conſeruatrix, quam Philo doctiſſimus Iudæus Sapiētiæ primum lapidem vocat, quem ille iacire debet, qui ſeriò & cum fructu operam ſtudijs ſit nauaturus. Vt enim nihil magis inimicum eſt huic generi vitæ intemperantià, extinguit enim omnia ingenij ac induſtriæ præſidia & inſtrumenta, ſenſuum perſpicacitatem; memoriæ tenacitatem, inuentionis acumen, iudicij maturitatem, efferendi res conceptas facilitatem, quin potiùs paulatim hominem animo & mente exuit groſſis ac turbulentis humoribus caput complet, affectus & perturbationes commouet, indeque pacem mentis & quietem perturbat, ac extra hominem quodam modo animum in rebus viliſſimis ac impuriſſimis occupatum, tanquam circa Syreneos ſcopulos retinet, ac ne quid magnum & ſublime cogitare poſſit, impedit. Vt inquam intemperantiâ nihil eſt peſtilentius; ita viciſſim Temperantiâ nihil magis ſalutare. Pacem enim & quietem animo reddit, tumultus ac perturbationes à mentis conclaui arcet, humores prauos cohibet, vegetum ac vigentem animum ſapientia reddit, & vt in pauca conferam, hominem homini reſtituit. Hac humilia ingenia creſcunt, illâ quantumuis maxima & præſtantiſſima extinguuntur. Quod

de Ale-

de Alexandro, Annibale, & Nerone,ac reliquis eius generis legimus. Consistit autem hæc virtus in modo & mensura omnium voluptatum, maximè tamẽ quæ circa potum, cibum, somnum, lusum, ac reliquum vitæ meliorem splendorem,& apparatum versantur; quæ vt moderatè assumpta naturam conseruant, ac reficiunt, magisque vegetam laboribus reddunt: ita modum si excesserint, eam penitus labefactant ac extinguunt,immaturamq; mortem adferũt. De reliquis autem voluptatibus apud hanc ætatem disputare neque conuenit, neque necesse est: cùm in hanc ætatẽ nõ cadant,nisi vbi malitia superat ætatẽ.

CAPVT QVINTVM.

CVm autem omnes artes aliter ab ijs tractentur qui eas ad vsum transferunt, quiq; Rempub. spectant, aliter ab ijs qui ipsarum artium tractatu delectati nihil in vita aliud sunt acturi: neque enim in istis terrenda est omnis ætas, sed cùm fontes viderimus (quos nisi quis celeriter cognouerit, nunquam cognoscet omnino) tum quoties opus erit ex ijs tantum quantum res petet hauriendum. Proinde statuendum inprimis est, qui simus, & ad quem finem studia nostra referamus. Finis igitur studiorum Ciuili homini qui

 forum

forum, qui Curiam, qui militiam, qui reliquas Reipub. partes adire volet hic erit, vt omnes partes vitæ rectè honesteque degendæ, ac omnia ea quæ ad eam tuendam & ornandam, tam priuatim quàm publicè sunt necessaria, norimus, ac primum nosmetipsos in ea exclusis errorum tenebris conseruemus cōstanter: deinde vt eam ciuibus nostris, omnesque partes illius ita vti tempus & necessitas ferret, persuadere possimus. Neq; enim sufficit ciui bono seipsum vtilem Ciuem Reipubl. suæ præstare, nisi hoc idem alijs quantum poterit persuadeat. Ad quem duplicem studiorum finem duplex quoque illa eruditionis pars refertur, vt scilicet Philosophiam illam quæ in moribus & vita versatur, ediscat, quæ omnes vitæ honestè degendæ rationes & modos explicat ac aperit. Deinde vt linguam nostram artibus illis imbuamus, quæ in dicendi & disserendi subtilitate atque copia versantur, quibus instructi facile possemus id quod rectum & honestum est Ciuibus nostris persuadere. Cùm autem omnis ars & institutio, partim præceptis, partim exemplis, hisq; aut veris aut fictis contineatur, Philosophia quoque hæc quæ in vita & moribus versatur, ijs partibus constat, Et præcepta quidem Philosophorum libris Platonis, Xenophontis, Ari-

stotelis,

ſtotelis, Ciceronis, Senecæ, Plutarchi, Epicteti, ac reliquorum continentur. Exempla autem vitæ ac morum, vera quidem hiſtoricorum libris, quorum infinita eſt manus tam apud Græcos quàm Latinos, continentur, inter quos Principes illi numerantur: Herodotus, Tucydides, Xenophon, Polibius, Plutarchus, Dionyſius, Cæſar, Saluſtius, Liuius. Ficta autem & ad vitæ ſpeciem conformata, apud Poëtas reperiuntur, quorum plurima ſunt genera: Epicorum, Lyricorum, Tragicorum & Comicorum; inter quos Græci quidem plurimi, Latini pauci principes numerantur Heſiodus, Homerus, Pindarus, Sophocles, Euripides, Ariſtophanes, Vergilius, Horatius, Terentius, Plautus, Seneca. Qui igitur exactam cognitionem Philoſophiæ Moralis habere vellet, hos omnes cognoſcat oportet, quæ res plus in fronte moleſtiæ quam in receſſu refert: nec enim valdè multa iſti omnes ſcripſerunt, & ſumma tamen ſuauitate legentium animos recreant. Ars verò quæ in excolenda lingua verſatur, primum quidem Grammaticæ, Dialecticæ & Rhetoricæ cognitione conſtat, non illa anxia & nimium curioſa, ſed hæc quæ ſumit tantum, quantum opus eſt. Quæ quidem artes materiam & rationem dicendi præſcribunt, animumq; prudentis

viri quid aliquo loco dicat,& quomodo,commonét. Deinde Oratorum & Poëtarum lectione, ex quibus copia verborum & artis atq; imitationis exempla petuntur. Et Grammaticam à quocunq; Grammatico didiceris, non multum refert. Dialectica commodiſſimè ex noſtro Gorſcio, perfectiſſimè ex Ariſtotelis Organo diſcitur. Rhetoricæ quam dicendi artem appellamus, Ariſtoteles, Cicero, atq; Fabius Quintilianus,præcipui ſunt Magiſtri;quos qui diligenter legerit, ille vniuerſam artem dicendi vberrimè cognoſcet, ſed Ariſtoteles difficilior: Fabius cum Cicerone planiſſimi & ad captum diſcentium accommodatiſſimi. Oratorum autem,ex quibus dicendi ratio peti debeat, non magnam habemus copiam. Demoſtenes, Iſocrates, Cicero, in principibus numerantur. Sed vnus Cicero diligenter & ſummo ſtudio lectus, cæterorum iacturam compenſabit. Qui igitur ſuis Ciuibus ea quæ recta & honeſta ſunt perſuadere vellet,hos libros legat, oportet. Quamuis autem ſtudia ſapientiæ priora ſint natura & dignitate ſtudijs eloquentiæ,modo tamen diſcendi ac percipiendi priora hæc illis eſſe putamus,partim quòd minutiora ac magis tedioſa ſunt, quam vt à maturiore ætate, quæ natura ad grauiores res fertur,ediſci commodè poſſint,

partim

partim quod viuidiore & faciliore memoria, qualis primæ ætatis eſt, opus habeant; partim quod ad illud maturius genus, ſtudiorum rectam & facilem viam, & aditum aperiant. Quid autem in hoc genere inprimis legẽdum ſit, diuerſa diuerſorum ſunt iudicia. Mihi primum locum poſt deletam meram literarum ignorantiam, lectio Epiſtolarum Ciceronis, Cõmentariorum Cæſaris, atq; Terentij Comici habere videtur, cum ob inſignem elegantiam & puritatem, tum ob intelligendi facilitatem. Si enim in omni Eloquentiæ ſtudio id primum & ſummum eſt, vt purè, caſtè, & eleganter loquamur; nihil ijs libris caſtius, nihil purius, nihil elegantius dici poteſt. Nã & Ciceronẽ Epiſtolarũ elegantia, Demoſtenem ipſum ſuperâſſe, teſtis eſt Fabius. Et commẽtarios Cæſaris valdè probandos dicit Cicero, nudi enim ſunt, recti, atq; venuſti omni ornatu orationis, tanquam veſte detracta. Et Terentium Cicero quamuis centum annis ſe priorem, familiarem ſuum nihilominus vocat. Neq; verò ſimpliciter & quocunque modo hos libros legendos puto, ſed ſtudium quoq; & obſeruationem aliquam adhibendam exiſtimo, vt modi & rationes dicendi diligenter notentur, ac notati memoriæ commendentur. Hæc enim ſunt tanquam prima initia, & incunabula

bula eloquentiæ, primo quidem aſpectu rudia & moleſta, at in receſſu magnifica & ſplendida. Ars verò commodiſſimè ab illis quos diximus ediſcitur, ſi breuem eius quandam deſignationem & adumbrationẽ doctus & fidelis præceptor præmiſerit. Legendi demum ſunt alij Poëtæ & Hiſtorici, eo ordine, vt optimos quoſq; primo loco legamus, in quibus Cicero & Vergilius, Liuius, familiam ducunt, ampliſſimi & locupletiſſimi linguæ Latinæ, totiuſque eloquentiæ authores, ita tamen ne reliqui illi quos diximus, ſuo loco & tẽpore negligantur: tum demum ad illud primum genus ſtudiorum tranſeundum, authoreſq; illi quos diximus legendi, vt quiſque melior & facilior putabitur. Quemadmodum autem vbi nos vrbis ac fixi domicilij tedium cepit, in agros varijſq; floribus diſtincta prata diuerti ſolemus, non vt illic commoremur, ſed vt animo refecti in vrbem iterum redeamus: ita nõ abs re quoq; erit in Philoſophiæ naturalis campos, artiumq; Mathematicarum hortos, Geographiæ præſertim, ſine qua hiſtoriæ lectio cœca eſt, paululum diuerti, ac illarum principijs & elementis cognitis, ad inſtitutum ſtudiorum curſum regredi: quæ ſtudia ingenium plurimum acuunt, vegetiuſq; reddunt, & ad inſtitutum literarum curſum, maximum momẽtum

adferunt,

adferunt, & ijs ipſis aſperſa eruditio maiorem adm-
rationem & delectationem habet,longeq́; ſublimior
eſſe videtur. De Iuriſprudentiæ quidem atq; Theo-
logiæ ſtudio nihil dicimus: vbi enim in ijs ſtudijs de
quibus diximus, aliquis profecerit, facilè de reliquis
ſuo iudicio vtetur.Et hæc quidem ſumma ſtudiorum
Ciuilium eſt.

CAPVT SEXTVM.

SVſcipiēda eſt præterea exercitatio quædam, inquit
Cicero,his qui ingrediuntur ad ſtadium,quiq; ea quę
agenda ſunt in foro tanquam in acie, poſſunt etiam
exercitatione quaſi ludicrâ perdiſcere ac meditari.
Varios autem modos exercitationis tradit Cicero.
Illud tamen præcipuum caput eſt, inquit ille,quod vt
verè dicam, minimè facimus: eſt enim magni labo-
ris quem plerumq́; fugimus, quàm plurima ſcribere,
ſtylus optimus & præſtantiſſimus dicendi effector
ac magiſter. Nam ſi ſubitam & fortuitam orationem
comentatio & cogitatio facilè vincit,hāc ipſam pro-
fectò aſſidua & diligens ſcriptura ſuperabit. Omnes
autem ſiue artis ſint loci,ſiue ingenij cuiuſdam atque
prudentiæ,modo inſint in ea re,de qua ſcribimus,an-
te quærentibus nobis, omniq́; acie ingenij contem-

plantibus, ostendunt se atq; occurrunt: omnesq; sententiæ ac verba omnia, quæ sunt cuiuscunq; generis, maximè illustria, sub acumen styli succedant subeantq;, necesse est. Tum ipsa collocatio conformatioque verborum perficitur in scribendo, non Poëtico, sed quodam orationis numero ac modo. Quamuis autem varij sunt modi styli exercendi: illum tamen maximè se Cicero secutum docet, vt ea quæ Græcè legeret, Latinè redderet verbis optimis & vsitatis. Quod autem illi Latinè discenti Græca fuerunt, nobis erunt vernacula & domestica, quæ itidem reddemus verbis optimis & vsitatis: quod ita commodissimè fiet, si ex probatissimis authoribus locos versos, iterum in Latinum qua poterimus diligētia maxima vertemus, nostraq; cum antiquis conferemus, ac quicquid prætermissum, quid additum, quid suo loco nō positum sed immutatum sit, videbimus. Nullus enim censor, nullus corrector est melior syncerâ antiquitate. Optima autē & perfectissima exēplaria quæ imitemur, esse debent. Vtile quoq; erit sumpto spatio ad cogitandum paratius & accuratius, vel historias, vel fabulas, vel qualescunq; rerum descriptiones, locos item communes Philosophiæ Moralis, in vtramque partem Latina oratione explicare: quod & Aristoteles

ſtoteles feciſſe dicitur, non ad Philoſophorum morē leuiter diſſerendo, ſed ad copiam Rhetorū in vtramque partem, vt vberius dici poſſit. Sunt & alia genera exercitationis maturiora, ſed nunc ea explicamus tantum, quæ primæ ætati ſunt accommodata. Debet autem maxima diligentia & ſtudio omnis exercitatio ſuſcipi: cum peruersè dicere homines peruersè dicendo facillimè conſequantur. Exercenda porro demum memoria eſt ediſcendis ad verbum quam plurimis & noſtris ſcriptis & alienis.

CAPVT SEPTIMVM.

CVm autem omnes actiones humanæ tempore dimetiantur, cuius parua quædam copia generi mortalium munere diuum data eſt, vitæ enim noſtræ exigua quædam menſura conſpicitur, eiuſq; maiorem partē homini, morbi, calamitates, puerilis ætas, ſenectuſq; ipſa auferunt, vbi autem effluxerit, nullis neq; precibus, neq; opibus, neq; viribus recuperari ſolet. Res quædam omnino precioſiſſima & maxima, & cuius apud demens genus mortalium minima iactura putatur. Quot enim horas dij immortales, quot menſes, annos deniq; nobis fruſtra elabi patimur. At verò ſi omnia ſimul iungantur momenta, tempus

quod fruſtra effluxit, reuocari poterit. nec illud cernimus, tempus dum perdimus, nos ipſos partibus quibuſdam perdere. Qui enim vitam quæ illi ad viuendum reſq; magnas gerendas data eſt, perdit, ſeipſum perdere putandus eſt. Parci igitur diſpenſatores temporis eſſe debemus, ad eiuſq; rationem ſtudia omnia noſtra reuocare. Cùm igitur à Deo immortali principia ſapientiæ repetamus, meritò prima hora à ſomno, aut aliquid amplius cultui diuino danda erit: neque enim dignus eſt vt luce hac fruatur, qui autorem & Dominum lucis non adorauit, & hac ratione reliqui actus diei proſperiùs ſuccedent, ſi ab eo, in cuius manu omnis proſperitas & ſucceſſus eſt collocatus, principium ſument. Conſequentes duæ vel plures horæ lectioni, auditioni, & ſcriptioni dabũtur. Quod reliquum temporis ante cibum, eſt neceſſarijs curis ac corporis exercitio, dari poterunt. Poſt ſumptum demum cibum, tribus ad ſummum horis ad ſtudia fiat reditus, quibus duas minimum, plurimum quatuor impendemus, reliquum temporis negotijs domeſticis valetudiniq; reficiendæ dabitur. A cœna quãuis minus idoneum tempus ſtudijs tractandis putetur, tamen aliquid expeditum atq; iucundum legi poterit, quod dulcem induceret ſomnum & quietem;

com-

commodissimè tamen ea vesperi aliquoties legũtur, quæ matutino tempore memoriæ commendari debent. Vt autem matutinæ horæ grauioribus studijs debentur, ita postmeridianæ iucundiora & faciliora studia sibi assumunt. Illud autem inprimis nobis imperemus oportet, ne vlla dies sit absq; linea. vt enim perpetua assiduitas ingenium obruit ac hebetat, ita intermissio certissimus obliuionis & ignorantiæ faber est. Cuius rei ipsi apud nos diligentissimi ac strictissimi exactores esse debemus.

CAPVT OCTAVVM.

ET quoniam duce & Magistro studiorum discenti opus est, deligendus talis erit, qui præstanti vita ac moribus inprimis fulgeat: cùm vitia Præceptorum frequentissimè minùs cautis discipulis etiam in matura ætate soleant obrepere. Quomodo Macedo Alexander iracundiam, quam puer à præceptore hauserat, perpetuò magno damno suorum retinuit. Deinde qui solida, & non apparẽte tantum doctrina & eruditione preditus sit, quiq; ea alios doceat præclárè quæ ipse possit præstare. Infeliciter enim ille docet, qui aut discendo docet, aut suæ artis quàm tradit exemplar non potest exhibere, cùm haud facile sit hoc

in alio

in alio efficere, quod in teipſo præſtare non poſſis. Cùm verò quiſpiam talem delegerit,tum apprimè enitendum eſt, vt cum talem qualis eſt,hoc autem eſt optimum & doctiſſimum, ac ſtudiorum ſuorum amantiſſimum,nacti fuerimus: nam & ægri prima ſalus eſt bene de Medico perſuaſum eſſe: & facile ſub eo Magiſtro proficimus,quem optimum & doctiſſimum eſſe putamus. Cùm autem de illo ſentiemus, danda erit opera, vt omnia eius iuſſa & dicta promptè & libenter exequamur,ac tanquam decreta & leges ſtudiorum noſtrorum eſſe putemus. Stultum enim eſt ducem itineris quærere,ac cum magno labore quæſitum inueneris, fideliter iter monſtranti non parere. Sic enim & illum ad vtilia percipienda alacriorem, & nos ipſos ad monitoris frena recipienda faciliores efficiemus. Colendus autem erit & honorandus Patris loco, vt enim quempiam magis honoramus, eò promptius illius iuſſis ac monitis paremus. Nam & parentibus & Magiſtratui ideò obtemperamus,quia primum honorem & cultum nos illis debere putamus. Nec eſt aliud quid de honore & reuerentia præceptorum detrahere, quam nè recta iubẽti pareas,neué vtilitatis tuæ cauſa præcipienti obtemperes viam aperire: nec prius tamen de præceptorũ,

quàm

quàm de noſtra exiſtimatione detractum erit. Turpe enim eſt illi nos ſubijci, quem ne ipſi quidem honore dignum exiſtimemus. Quòd ſi eos quibus res noſtras committimus, quàm honeſtiſſimos eſſe volumus, ac in magna laudis parte id ducimus: quibus nos ipſos committimus, eorum honorẽ negligemus? Magnam autem commendationem ea res diſcere volentibus adfert, non enim perſonas præceptorum, ſed ſtudia ſapientiamq; ipſam colere putatur, quod minimè facere poteſt, qui aut ipſe eruditus non ſit, aut quantũ momenti in ſe ſapientia habeat, non animaduertat; vt qui hoc deſpicit, ſapientiam ipſam & eruditionẽ deſpicere videtur; atqui ita ſtultiſſimus & ignauiſſimus eſſe iudicatur. Nihil autem turpius eſt, quàm ſapientiæ & induſtriæ inimicum & oſorem apparere, ad quam omnes natura duce trahimur & impellimur. Sed hæc quidem hactenus.

SOCOLOVIUS. seu in Anniversario Stanislai Socolouij Theologi, Canonici Crac. et apud Stephanum Poloniae Regem Concionatoris. e inter Orationes R. P. Fabiani Birkowij S.T.D. ord. Praedicatorum S. Dominici